

versus, Bononiæ esse iussus est, ea vero conditione, ut 1452  
quotidie ad Niceni Antistitis conspectum, qui urbi Legati nomine præerat, veniret. Ille rerum novarum cupidus, perfidos nuncios, sive potius obscuris ambagibus literarum (nam quid alioquin de ea re affirmare possim, non habeo) aliquot facinorosos Romani sanguinis viros ad atrox atque impium facinus perpulit: ut ad certum diem conjurationis focii Romæ adessent; facto repente in Pontificem & Collegium impetu, inter ipsa sacrorum solemnia opprimerent; oppressis, populum Romanum ad libertatem vocarent. Simulata igitur corporis ægritudine, quasi languere cœpisset, in publico non exhibat. Interim vero factus certior, omnia jam Romæ a conspiratis comparata, ipse, arrepto equo, magnis itineribus Romam contendit. Sed ejus profectio non diu Nicenum latuit; ratus itaque quod erat, expeditissimis nunciis aliis super alios Pontifici significat, Stephanum Portium Bononia se incio per eos dies profectum, nec se adhuc compertum habere, quo iter intenderit: vehementer dubitare ne ad evertenda urbis ocia homo facinorosus accesserit. Ille longo pervigilio fessus, quum aliquantisper quievisset, spatium tabellariis dedit ad literas mature perferendas. Nam ita sane accidit, ut nocte quæ diem ad eruptionem constitutam præcessit, literæ Pontifici sint redditæ; qui atrocitate rei commotus, statim ad eum opprimendum animum adjecit: Jacobo Lavaniolo Veronensi, urbis Romæ tunc Senatori, & aliis plerisque negotium est datum. Hi quum ingenti hominum manu in Stephani ædes impetum fecissent, statim ille turbatus in fororis ædes occulto transiit, relicto domi Baptista Sarra cum armatis, quos ad scelus perpetrandum contraxerat. Ille vero, ut erat ferox animo, ac manu promptus, ubi se ferro flammisque circumventum vidit, facta cum paucis eruptione, per armatorum cuneos sibi ferro viam fecit. Conjurationis auctor apud sororem repertus, ad supplicium tractus est. Ea res Pontificis animum a studio conciliandæ pacis nonnihil avertit.

Verno hujus anni tempore Florentini suis Sforcizque